



6
18 D
17






D. JOSEPHI MICHAELIS

JOANNIS PORTUGALLENSIS

COMITIS VIMIOSENSIS

EPIGRAMMATA.



PRÆCLARISSIMO VIRO

EMMANUELI

TELLESIO SILVIO,

MARCHIONI ALEGRETENSI

EPIGRAMMATUM

Liber unus,


AUTHORE


D. JOSEPHO MICHAELE

JOANNE PORTUGALLENSI

COMITE VIMIOSENSI,

Regiæ Academiæ Socio.








ULYSSIPONE OCCIDENTALI.

Ex Prælo MICHAELIS RODRIGUES,

M. DCC. XXXII.


Cum facultate Superiorum.



AD PRÆCLARISSIMUM VIRUM

EMMANUELEM TELLESIUM

SILVIUM,



MARCHIONEM ALEGRETENSEM,

ſocerum ſuum maxime colendum.

EXcipe, chare ſocer, pacato hæc carmina vultu,
Dignaque tutelæ ſit mea muſa tuæ.
Quando tibi ſacratur opus, contemnere nomen
Ut poſſis noſtrum, non potes ipſe tuum.



AD LECTOREM.

TU,quicumque leges pauca hæc Epigrāmata,nunquam
Si lector fueris, lector amicus eris.

AD

AD LIBRUM SUUM.

PArve liber, pudeat nil te noſtrum eſſe libellum;
 Authorem pudeat me tamen eſſe tuum:
Perpetuò ut vivas, faciam vulgatus; at ipſe
 Ne peream, minimè tu, liber, efficies.

FACULTAS
REGIÆ ACADEMIÆ.

EXCELLENTISSIMI DOMINI.

UT censorio mandato vestro satisfacerem, legi non magnum, verùm aureolum libellum centum Epigrammatum, quem edendum curat clarissimus illius Author Comes Vimiosius, unus è quinquaginta Regalis Academiæ Sociis, qui & postulat, ut per vos sibi in eo liceat Academici nomine appellari, quum Academica lege vetitum sit id fieri injussu vestro, nisi in libris ad Lusitanam Historiam spectantibus. Ego verò dum singulas hujus voluminis paginas evolvo, dum singula Epigrammata discutio, dum singulos versus perpendo, & dum uniuscujusque verbi pondus, non qualibet populari trutinâ, sed aurificis staterâ examino, mihi persuasissimum habeo è re potiùs nostræ Academiæ, quàm Authoris esse, ut ipse hoc in libro ACADEMICI perferat nomenclationem: tam incorrupta in illo est Latini sermonis integritas, adeo copiosa argutiarum ubertas, tam grata numerorum dulcedo, tam diligens verborum delectus. Gloriosum quidem est Comiti Vimiosio in amplissimum Academicorum Collegium fuisse eruditissimorum hominum suffragiis cooptatum, longèque gloriosius gravissimum electorum judicium fuisse ab augustissimo, sapientissimoque Rege honorificè approbatum.



batum. Academiæ tamen non minus gloriosum est, unum ex illius Sociis, eumque omnium juniorem, Authorem esse hujus libelli centum Epigrammatum, qui pro sua eximia suavitate meritò vocari potest Flos Parnassi, rosam longè superans centifoliam, (*Plin. lib.* 21. *cap.* 4.) vel potiùs ipsius Aoniæ ocellus, quem Musæi sententiam usurpans, jure dixerim, *Centum gratiis pullulare.* (*Musæus de Her. & Leandro vers.* 65.) Meruit sanè Comes Vimiosius hoc uno libello dulcissimum, & pulcherrimum nomen Poetæ: quis ergo inficiabitur, illum eodem opere asseruisse sibi solidum, & splendidum nomen Academici! Si enim ab Horatio Flacco, æquissimo hujusmodi studiorum judice, sciscitemur: Cuinam dandum sit nomen Poetæ? Respondebit:

Ingenium cui sit, cui mens divinior, atque os
Magna sonaturum, des nominis hujus honorem.
(*Horat. lib.* 1. *sat.* 4.)

Quæ tria, ut sunt vera decora Poetarum, ita existimanda esse maxima Academicorum ornamenta nemo non videt, & omnia abundè adesse Authori suo mirificè probat libellus iste, in quo elucet Comitis Vimiosii *ingenium*, quod omnes admirantur: agnoscitur *mens divinior*, quam Numen ipsi indidit; & denique auditur ejusdem *os*, *magna* non tantùm *sonaturum*, sed jam dudum sonans, utpote quo eloquentissimum parentem suum imitari, vel potiùs æmulari jampridem vehementiùs, & quidem felicissimè studet. Regalis igitur Academiæ, Excellentissimi Domini, me judice, interest, nosci ab universo orbe hunc libellum, exquisitissimis verbis laudandum, scriptum esse ab uno ex illius Sociis, eoque ex Optimatibus Lusitaniæ, quem constat esse non minùs Latinæ elegantiæ splendore, quàm Regia agnatione illustrem. Unde author essem, ut

juben-

jubendum potiùs, quàm permittendum Comiti Vimiosio, ut in hoc libello, & in omnibus operibus, quæ ediderit, clarissimo, & amplissimo Socii Regalis Academiæ nomine nuncupetur. Ulyssipone Occidentali è Domo Sanctæ Mariæ à Divina Providentia Clericorum Regularium vi. Idus Aprilis anno reparati orbis cIↃIↃCCXXXII.

Emmanuel Caietanus Sousa C. R.

CUltissimum hunc, Musisque gratissimum Epigrammatum libellum, quem antea clarissimi, & benevolentissimi Authoris gratiâ libentissimè legeram, vestro rursus de mandato (Excellentissimi Domini) attentè perlegi, jussus meum proferre judicium, an, juxta Regiæ nostræ Academiæ leges, dignus sit, quòd eum Author in lucem edat, ipsius Academiæ Collegæ titulo insignitus. Facilè vobis, & paucis obtempero, dum ingenuè fateor, & jure censeo, dignum esse opus Authore suo; quo judicio jam me affirmare non dubitabitis, dignissimum esse, quòd sub Regii Academici nomine typis, & posteritati mandetur. Enimverò si Regium oportet Academicum, omnigena eruditione esse conspicuum, clarissimum hunc Authorem hac esse undequaque luculenter ornatum, libellus ipse manifestè probat, & testatur; illiusque centum ingeniosissimis, & argutissimis Epigrammatis, veluti totidem aureis linguis, Fama proclamat Regii Academici egregium, venerandumque nomen, cum tanti Authoris nomine conjunctum, potiori reciprocante jure immortalitati consecrandum. Olyssipone Occidentali XVI. Kal. Mai. ann. reparati orbis M.DCC.XXXII.

Emmanuel Tojalius Sylvius C. R.

O Di-

O Director, e Censores da Academia Real da Historia Portugueza daõ licença ao Conde de Vimioso para usar do titulo de Academico neste livro, vista a approvaçaõ dos Academicos, a que se commetteo o seu exame. Lisboa Occidental 10. de Abril de 1732.

O Marquez de Alegrete.
O Conde da Ericeyra.
O Marquez de Abrantes.
O P. D. Manoel Caetano de Sousa.
Joseph da Cunha Brochado.
O Marquez Manoel Telles da Silva.

FA-

FACULTAS
SANCTÆ INQUISITIONIS.

EMINENTISSIME DOMINE.

CEntum hæc Epigrammata, quæ Excellentissimus Dominus D. Josephus Michael Joannes de Portugal Comes de Vimioso prælo adornat, ea sunt gravitate, leporibus, salibusque condita, ut à prisci temporis Authore scripta esse omnino videantur. Quod ne illi quidem fateri renuent, qui nova omnia fastidientes, vetera tantùm admirari solent. Imò antiquis Epigrammatographis excellit disertissimus Author; illi siquidem in eo scribendi genere laudem, atque existimationem tunc demum sunt consequuti, cùm, inclinata jam ætate, ad senium vergerent; hic verò nondum prætergressus adolescentiam, carmina pangit, qualia vix Catullus, & Martialis ipse fuderunt. Author adeo est accuratus, ut nihil non scribat, & fide orthodoxa, & Christianis moribus salvis. Eminentia vestra eruditis omnibus, & humaniorum literarum amatoribus pergratum faciet, si librum hujusmodi in lucem edi posse decernat. Ulyssipone Occidentali è Congregatione Oratorii die 28. Octobris an. 1731.

Antonius dos Reys.

Vista

Vista a informaçaõ, pòde-se imprimir o livro, de que se trata, e depois de impresso tornará para se conferir, e dar licença, que corra, sem a qual naõ correrá. Lisboa Occidental 30. de Outubro de 1731.

Fr. R. Lancastre. Cunha. Teyxeyra. Silva. Cabedo.

FACULTAS ORDINARII.

ILLUSTRISSIME DOMINE.

APerire jussus meam sententiam de Epigrammatum libro, quem in lucem edere meditatur Excellentissimus Dominus Comes Vimiosensis, temperare mihi non possum, quin ingenue gratuler ætati nostræ, quòd eminentissima tulerit ingenia, ac cujusque clari operis capacia, nulloque otio, desidiâ, languoreve aspersa. Omnium verò, quos bonarum artium cultores novimus, facilè principem appellare non gravabor horum Epigrammatum Authorem, quippe qui ad ingenuas, liberalesque disciplinas animum appulerit fere ab incunabulis, perpetuoque Musarum commercio, contubernioque sit perfunctus. Quantum autem Poesim illustraverit, abundè liquet ex hoc opere, in quo ea enitet ingenii altitudo, celeritasque, atque acumen, quin & Latini sermonis consuetudo, ut probatissimorum, veterumque Poetarum ore prorsus defluxa carmina videantur. Dictu etiam proclive non est quàm moderato, gravique utatur dicendi genere, ac Christianorum institutis consono, dum Latii lepores, salesque immiscet; quantumque lectoris ani-

animum ad antiquioris diſciplinæ conſuetudinem , inque caſtos, ac religioſos mores traducat. Quæ cùm ita ſint , digniſſimum opus cenſeo , ut in lucem quamprimum edatur. Ulyſſipone Occidentali in Ædibus Sanctæ Mariæ Divinæ Providentiæ die 3. menſis Novembris anno Domini 1731.

D. Ludovicus Caietanus de Lima.

VIſta a informaçaõ, pòde-ſe imprimir o livro, de que ſe trata , e depois de impreſſo tornará para ſe conferir, e dar licença, para que corra. Lisboa Occidental 5. de Novembro de 1731.

Gouvea.

FACULTAS REGII SENATUS.

DOMINE.

OPtimè merentur de Republica inſignes virtute proceres, quòd mores, quos ipſi præ ſe ferunt, plerumque in civitatem infundunt ; habent enim hoc peculiare illuſtrium virorum facta, ut quò ſublimiori ſunt poſiti faſtigio, eò efficaciùs ad ſui imitationem cæteros deducant. Quocircà utiliſſimum fore arbitror hæc edi Epigrammata, de quibus judicium meum exponere juſſus ſum. Nam præter utilitatem doctrinæ , atque animi oblectationem , quæ duo in ſimilibus exquiruntur libris , in hoc etiam efficax ad virtutem exemplum proponitur, quod Regio ſanguine adoleſcens uſque adeo à primis annis tam aſſiduè virtutes , & ſtudia

ſtudia literarum colat, ut ſummæ adeptæ ſapientiæ, quando flores præcoces viderentur, uberes ferat jam fructus, ſeque parentis ſapientiſſimi, & omnigena virtute ornati filium, avorum clariſſimorum progeniem, velut aquilæ fœtum non degenerem probet. Hujuſmodi tam egregiæ indolis pulchrum ſpecimen Comes Vimioſenſis in hoc libello exhibet, & in hiſce centum Epigrammatibus totidem ſtatuit ingenii, acuminisque ſui indelebilia monumenta. Hæc mea ſententia. Tui erit, Domine Auguſtiſſime, quod ſit æquiſſimum, jubere. Olyſſipone Occidentali Idibus Novembris anno Domini CIↃIↃCCXXXI.

Ludovicus Franciſcus Pimentellius.

QUe ſe poſſa imprimir, viſtas as licenças do ſanto Officio, e Ordinario, e depois de impreſſo tornará à Meſa para ſe conferir, e taxar, e ſem iſſo naõ correrá. Lisboa Occidental 16. de Novembro de 1731.

Pereyra. Teyxeyra. Rego.

CO

COMES VIMIOSENSIS

Sapientiſſimo & eruditiſſimo viro Antonio Rodericio Coſtio, maximè colendo,

S. D.

NOn ſum neſcius, ſapientiſſime vir, cùm Epigrammatum libellum & ſcripſerim, & divulgari velim, fore, ut hic meus labor, ſtudiumque in varias reprehenſiones incurrat: nam quibuſdam, & his quidem authoritate, doctrinaque excellentibus, hujuſmodi ſcriptura planè diſplicet; quæ aut brevibus, argutisque ſententiis, aut ſallè, facetèque dictis, nihil eis gravitatis, nihil ponderis, nihil denique utilitatis habere videatur. Quidam autem reprehendent, ac jure fortaſſe reprehendent, cùm hoc ſcribendi genus ingenioſè permulti & ſuperiori, & noſtra memoria tractaſſent, id me eſſe tam mediocri ingenio literis mandare auſum. Erunt etiam, qui dicant, & horum quidem judicium maximè reformido, me antè Authorem, quàm ſtudioſum; ſcriptorem, quàm eruditum, eſſe voluiſſe: cùm id ætatis ſim, ut humanitatis ſtudia vix primis, ut dicitur, labris guſtaſſe, ac attigiſſe videar. Poſtremò nonnullos arbitror futuros, qui Latinas literas contemnentes, nos eo ſermone debere uti, qui notior nobis eſt; linguamque noſtram, etſi minus locuples ſit, minusque elegans, cæteris tamen anteponendam eſſe vociferent. Omitto, vel aſpernor potiùs illud hominum genus, quos Criticos appellant, & Zoilos, ac Momos veriùs nominare debebant; cùm

nihil in rerum natura ſit, quod jam illi improbi, audaciſſimique non perturbarint; nihil, quod optimè vel dictum, vel factum non momorderint; nihil, quod firmum, ac ſtabile non everterint; antiquum, & venerabile non contempſerint; ſanctum, atque divinum nefariè non offenderint, impiè non vexarint. Relinquo etiam obtrectationes eorum, quos admodum indoctos, & omnis penitùs eruditionis expertes, nec tantæ pœnitet inſcitiæ, necnon pœnitere pudet;qui turpi languori,deſidiæ,inertiæque dediti, ſuæ famæ obliti, gloriæ aliorum invidi, doctrinæ ſtudium laborem illiberalem putant, perſonæque, ac dignitatis eſſe negant: qui denique piſcando, aucupando, venando occupati, & his corporis tantùm exercitationibus contenti à feris accipere feritatem, quàm ab hominibus humanitatem malunt; & tamen illa natura, quæ ſi non vitioſa, ſed moderata ſit, exculta tamen doctrina eſſe debet, illa,inquam, natura, ac moribus adeo agreſtibus, ut etiam pecudes fugiant, & perhorreſcant, ſuis civibus præſidere, & Rempublicam adminiſtrare cogitant. Omnibus his vituperatoribus non reſpondiſſe me ſolùm, ſed ſatisfeciſſe putabo, ſi tibi ſatisfecerim; cujus judicium nec pluris ut grave, ac ſubtile, quàm ut ſincerum, ac liberum æſtimo; nec tam ſeverum timeo, quàm benevolum expecto. Quare, etſi omne te munus vel publicum, vel privatum optimè executurum eſſe certò ſciam; cùm omnes ita integritatem tuam, conſtantiam, humanitatem, ſapientiam, ac doctrinam commemorent, ut nulla unquam cum exceptione lauderis; atque hæc tuæ virtutis commemoratio vel tui inimicos, hoc eſt, vitioſos delectet: nullum tamen officium melius, quàm illud Cenſoris, tueri te poſſe exiſtimo. Nam præter omnes bonarum artium diſciplinas, & præcipuè

puè Latinæ linguæ cognitionem, atque ſcientiam, qua tu facilè ſuperas univerſos; præter eam ingenuitatem, qua cæteris maximè antecellis; præter etiam authoritatem, qua plurimùm jure, ac merito vales; ſic prudenti, ſapientique in diſcernendo judicio uti ſoles, ut ſententiæ adverſari tuæ ſumma potiùs amentia, quàm inſolentia; ſtultitia, quàm temeritas; culpa, quàm error, eſſe videatur. Itaque te oro, atque obteſtor, ut hunc Epigrammatum libellum, quem ut tibi mittam, & ratio, & utilitas, & mea obſervantia, & benevolentia tua, & noſtra amicitia movet, attentè, conſideratèque legas; nec ſolùm legas, ſed corrigas; nec corrigas tantùm, ſed, ſi illum ne abs te quidem emendatum edi oportere ſenties, id quamprìmum mihi ſcribere ne graveris: ſi ſpe enim gloriolæ quadam caruero, at exiſtimationem certè non amittam: & ſi laudem adeptus nullam fuero, at ſummam vituperationem vitabo. Reliquum eſt, ut veniam & poſtulem à te, & (ut ſpero) impetrem, quod nunc te conterere tempus faciam in libro iſto, epiſtolaque legenda longiori ſanè, quàm æquum erat, ſed breviori fortaſſe, quàm vellem, quòd tu quidem tempus malles totum conſumere in jucundiſſimo literarum ſtudio, quod tibi jucundius, ac dulcius omni amicitia eſt; & in graviſſimis negotiis Reipublicæ, quæ vel ipſis ſtudiis charior tibi, & antìquior in omni vita fuit: ſed veniam dare, & laudem etiam tribuere illi debes, qui, dum erudiri à te, & perdoceri cupit, non modò ſe turpem ignorationis notam putat effugere, ſed magnam ſibi gloriam, poſteriſque ſuis quærere exiſtimat.

VALE.

ANTONIUS ROD'. COST'.

EXCELLENTISSIMO DOMINO,

INGENIOSISSIMOQUE ADOLESCENTI

COMITI VIMIOSENSI,

Domino ſuo maximè colendo,

S.

Literas tuas non minùs erga me honorificas, quàm ingenii, & eruditionis tuæ ſingularis teſtes unà cum libello tuo Epigrammatum avidiſſimè legi, mirarerque tam literas, quàm libellum, niſi jam dudum mihi ſatis perſpecta eſſent & acumen ingenii tui, & Romanæ eloquentiæ ſtudium.

Quare laudibus abſtinebo, ne actum agere videar, aut paupertate ingenii mei debitum præconium imminuam. Quæ enim communem modum excedunt, ferè etiam clariſſimorum hominum eloquentiam exuperant, nedum meam tenuitatem. Quod autem rogas, ut libellum tuum legam attentè, legi equidem attentiſſimè, ſpecimenque eſſe judico luculentum ingenii, & eruditionis tuæ; ſed corrigere, & emendare, quod etiam rogas, nunquam ego id auſus fuiſſem, etiam ſiquid emendandum cenſerem; tua enim ſcripta tuâ, non alienâ, emendatione indigent; nec eſt, ut puto, qui te ipſo meliùs hoc officium tibi præſtare

poſſit.

possit. Et ut verum tibi fatear sine fuco, ac fallaciis, numquam ego huic labori satis idoneus, aptusve fui, quòd tantùm in adolescentia versificandi studio operam dederim; moxque ab eo secessi, gravioribus fortasse studiis, certè mihi jucundioribus, deditus, hoc est, Græcis literis, & nonnihil etiam Hebraicis. De meo vero judicio te non celabo, dicamque simpliciter quod censeo, non tam meam, quàm duorum doctissimorum hominum sententiam secutus, Horatium inquam, & Quintilianum; quorum hic fuit disertissimus Romanæ eloquentiæ magister; ille poeticæ artis præceptor gravissimus; uterque enim in eamdem sententiam conspirant, monentque, ne recentes mentis nostræ fœtus illico in lucem edamus; ipse verò Horatius eam moram in nonum annum producit, cùm significare vellet diuturnam esse debere. Quintilianus causam addit: Ut, inquit, refrigerato inventionis ardore, & amore tamquam erga fœtus à nobis genitos, postea quæ seposuimus velut nova, & aliena retractemus. His tantorum hominum monitis si paruerimus, emendata à nobis ipsis scripta nostra edere poterimus. Quæ quidem si præcoci partu proferre in lucem maturabimus, postea ætate, & judicio confirmatis fortasse erunt nonnulla, quæ pœnitebit non solùm edidisse, sedque pigebit etiam scripsisse. Adde, quòd adolescentia omnium sententiis obnoxia est temeritati, & quamquam egregia indoles tua mirum in modum moderata, ac modesta sit; extra humanæ naturæ gradum positam existimare non debemus; ideoque sententia mea siquid judico, consultiùs, & cautiùs feceris, si te ipsum tui correctorem, & emendatorem expectaveris.

Illud autem maximè considerandum, omnia, quæ facimus homines, aut esse ad vitam necessaria, aut voluptatem

tantùm ſpectare; illa, quomodocumque facta ſint, uſui ſunt. Hæc, niſi perfecta ſint, deſpectui. Inter ea, quæ tantùm voluptati dicantur, præcipua eſt Poeſis, ideoque ſi paulò à ſummo deceſſit, vergit ad imum, quia Mediocribus eſſe Poetis Non homines, non di non conceſſere columnæ, hoc eſt, nullum genus Poeſios niſi perfectum placere poteſt. At verò pars illa Poeſios, quæ ad Epigrammata pertinet, duo in primis habet difficillima, acumen ſcilicet, & brevitatem; acumen verò paucis, Quos æquus amavit Jupiter, datum eſt, nec ſemper acutè dicere pronum eſt; acumina enim, niſi res ipſa, aut caſus ſuggerit, ſi obnitaris dicere, nugas proferes, & ineptire videberis. Quid! Multa, quæ calida, & ignita putabis, legentibus thermis Neronianis frigidiora videbuntur. Brevitas autem, quæ in hoc genere carminum regnare debet, ſcimus quàm ſit difficilis; nam niſi & primo ſtatim intuitu pateat ſententia noſtra, in arctum coacta oratione, quidquid leporis, urbanitatis, venuſtatis, ac facetiarum inerat, evaneſcit. Et tamen verba non ſolùm Latina eſſe debent, ſed expolita, ac venuſta. Non hoc eſt gloriæ tuæ intercedere; imò tota hæc oratio mea eò ſpectat, ut non multò poſthac adulta, & cumulata tibi obveniat. Suſtine tantisper impetum adoleſcentiæ tuæ, & habebis te ipſum, ſiquid opus erit, tui ipſius caſtigatorem peridoneum, nec alieno indigebis auxilio. Niſi tua mihi perſpecta eſſet humanitas, ſingularisque modeſtia, hæc fortaſſe tam ſincerè ad te non ſcripſiſſem, ſed cùm jam diu & te, & patrem tuum, ingens Luſitanæ gentis ornamentum, penitus cognoverim, quæ verè ſentio, diſſimulare non debui, imò ea exponere jus, fasque eſſe judicavi; nec ſum veritus vos eſſe reprehenſuros animum vobis in primis deditum, quamvis judicium jure fortaſſe reprehendatis. Verumtamen ſiqui

ſunt

ſunt viri docti, qui vulgandi libelli authores ſint tibi, ab eo conſilio te nequaquam averterem; cujuſcumque enim judicium meo antepono. Vale, poſtridie Idus Sextilis anno Chriſtiano MDCCXXXI.

Ignoſce, Domine, lituris, & erroribus.

DOCTISSIMO VIRO

JOSEPHO PORTUGALLENSI

COMITI VIMIOSENSI,

genero suo charissimo,

EMMANUEL TELLESIUS SILVIUS

MARCHIO ALEGRETENSIS,

lectis centum generi Epigrammatis,
hoc offert.

EMendanda mihi misisti epigrammata centum,
Esseque nulla tamen rejicienda puto.
Legi miratus facundæ mentis acumen,
Impar ætati judiciumque tuæ.
Quem mensura sonum, quem verba, melosque dedere,
Legi; visumque est quodque epigramma tuum.
Mittere sed laudes tibi nostra Camena recusat,
Spargere quas debet, quippe ligare nequit.

EX-

EXCELLENTISSIMO

COMITI VIMIOSENSI

centum Epigrammata ad se mittenti

Petrus Almeida Soc. JESUS.

SUnt elementa tuæ si centum epigrammata musæ,
Illa quot in lucem, cùm veterana, dabit?
Tot dabit, in vitrea quot sunt Aganippide guttæ,
Quot juga Parnassi frondibus alta micant.
Parva loquor: longe Aonidis, Phœboque præibis,
Aonidum, aut Phœbi nec comes esse voles.

Aliud.

TUrba Poëtarum procul hinc, procul ite Marones;
Nec jam Mæonidæ plectra canora sonent.
Unum pro cunctis, Musæ, celebrate Poëtam,
Qui Comes est, Vatum nec volet esse comes.

Aliud.

QUòd permista tuis mea sint epigrammata, lætor;
Sunt umbræ, meliùs queis tua lux radiat.
O' me felicem! Qui per mea carmina feci,
Lumina carminibus sint quòd adaucta tuis.

Aliud.

Aliud.

IN patris, ac ſoceri tot cur epigrammata laudem,
Matris at in laudem carmina nulla facis?
Anne quòd illa ſuis amborum encomia præfert?
Credo, quòd eſt illa vel tua muſa minor.

Aliud.

NAtalem patris celebrat tua muſa frequenter,
Natalem matris ſemper & illa tacet.
At bene; nam patris facundia carmina poſcit;
Maternæ frontis muſam inhibet gravitas.

EX-

EXCELLENTISSIMUM

COMITEM VIMIOSANUM,

ut Epigrammatum ſuorum Centuriam in lucem edat, enixe rogat

Franciſcus Xaverius Leitaõ.

HÆc, precor, in lucem mittas eprigammata, verſus
Mittat ut in flammas quisque Poeta ſuos.
Sic tua conſpicient geminatam carmina lucem;
Orta ſed à flammis lux tibi maior erit.

AD

AD EXCELLENTISSIMUM

D. COMITEM VIMIOSANUM

primo ætatis flore elegantiſſima Epigrammata ſcribentem.

EPIGRAMMA.

OH nimium ingenio diſpar juvenilibus annis,
　Luſiadum gentis gloria, ſpes, & amor!
Siccine Parnaſſi primo juga celſa volatu,
　Sic datur abruptas tranſiliiſſe vias?
Scilicet emeritæ quæ vix deferre ſenectæ
　Serta ſolent Muſæ, præripis ingrediens.
Eia age, clare Comes, cœptis ne abſiſte: Poëtam
　Te natura, alios efficit arte labor.

Alexander de Guſmaõ.

EX-

EXCELLENTISSIMO DOMINO

D. JOSEPHO MICHAELI

JOANNI DE PORTUGAL

COMITI VIMIOSENSI,

quem hortatur, ut ſuaviſſimum Epigrammatum librum in lucem edat,

D. Ludovicus Caietanus Lima Cler. Reg.

CArmina quî facili poſſim deducere plectro,
    Debita queis tollam nomen ad aſtra tuum!
Largiùs epotem quamvis Aganippidos undas,
    Arens uret adhuc pectora noſtra ſitis:
Nec ſi Parnaſſi ſcandam juga ſacra bicornis,
    Et luſtrem Aonii ſcrinia docta chori,
Apta tuo venient præconia nulla libello;
    Nulla tibi laudum pulchrior inde ſeges.
Dulcia Peligni revehis modulamina plectri,
    Et Flacci Auſoniam das remeare lyram.
Numine ſic raperis, Phœboque agitante caleſcis,
    Totus ut Aonidum ſpiret in ore decor.
Cultus ineſt ſermo, Latiali dignior aure,
    Et quem jure putent ſæcula priſca ſuum.

Quin

Quin & jucundos quos noſcat Roma lepores,
    Sæpèque dircæos inſeris arte ſales.
Sæpè etiam immites carpunt tua carmina mores,
    Inſit ut antiquus gentibus orbe pudor.
Ergo ſiqua fides recta eſt adhibenda precanti,
    Nec flecti votis reſpuis ipſe meis,
Edere dulciſonum propera, mihi crede, libellum,
    Atque legi patiens nobile profer opus.
Nullus erit ſtudiis, madeant cui pectora Phœbi,
    Non avido excipiat qui tua ſcripta ſinu.
Nullus erit, triſtes ducat qui crimine vultus,
    Nec tua qui carpat carmina livor edax.
Perge liber minio, coccive notatus honore,
    Sive cedri gratâ luxuriaris ope.
Multus Hyperboreâ plauſu celebraberis Arcto,
    Œnotriam & gentem nec minor ardor aget.
Inſcia nulla tui fiet jam nominis ætas,
    Invia nec tellus laudibus ulla tuis.

AD

AD EXCELLENTISSIMUM,

& mihi maximè colendum

D. JOSEPHUM MICHAELEM

JOANNEM PORTUGALLENSEM

COMITEM VIMIOSENSEM,

ut Epigrammata ſua in lucem edat.

EPISTOLA

D. Emmanuelis do Tojal da Silva C. R.

SEmidei patris, Joſeph, digniſſima proles,
    Atque Valentinæ gloria certa Domûs:
Quem genuiſſe parem gaudet natura parenti,
    Alter ne Luſo clarior orbe foret:
Impigra dum ſacris illuſtras otia muſis,
    Et tibi facundo pectore numen ineſt,
Concinis arguto cultiſſima carmina plectro,
    Quæ brevibus reſonant arte ligata modis.
Nam tibi dulciſonos tentanti fundere verſus.
    Phœbus amat ſacræ tradere fila lyræ,

Utque

Utque tuam cingat juvenilem laurea frontem
    Ipse suam viridi nudat honore comam:
Castalios tradit latices, & consecrat aras,
    Queis bifido possis vertice thure coli.
Nam videt Aonias, te præside, posse sorores
    Maius præsidium vatibus esse suis.
Ergo quæ scribis divina epigrammata, Joseph,
    Neu prohibe meritâ quam citò luce frui.
Ipse lyræ invideat resonanti carmina Phœbus,
    Ultrò quam manibus tradidit ille tuis.
Auscultet dulces, quos possit discere, cantus,
    Doctus ab invidia dulcius inde sonet.
Incultæ sileant Musæ, lateantque protervæ
    Queis nec lima favet, nec lepor ullus adest.
Invitâ lateant quæ sunt deducta Minerva
    Carmina, mordaci vel malè sparsa sale:
Hæ meritò lateant, & mille premantur in annos,
    Et Lethes atris obruta condat aquis.
Ast tua divino modulata epigrammata metro,
    Immeritò differt edere lenta manus.
Carmina, queis studium copulatur divite vena,
    Crimine quis solvat scrinia si teneant?
Castigata nitent decies quæ carmina ad unguem
    Non tantùm decies hæc repetita placent.
Quæ Venus his ridet non est lasciva, venusto
    Ore, sed in dulces prosilit illa sales.
His viget ingenium vernantis flore juventæ,
    Quam magè Musa colit, quam magè Phœbus amat.
Vatibus in sacris Deus est, agitante calescunt
    Illo, sed pectus plus juvenile flagrat.

Quod

Quod facilè juvenes possunt conscendere culmen
Parnassi, haud facilè planta senilis adit:
Ergo florenti modulantes vere Camœnas
Ne premat autumni desidiosa manus....
Judicium speras, (quod te fortasse moratur)
Impavido currat quo tua musa pede ?
Jam speranda tibi nulla est sententia, crede,
Ullam nec parvi temporis adde moram.
Non tua descendant in Meci judicis aures
Carmina judicio jam decorata patris;
Namque tuo quæ lecta patri placuere, nec ipse
Carpet Aristarchus, cùm probet ipse Cato.
Edere ne tardes tam culta epigrammata, quando
Te rogat & Phœbus, Pieridumque chorus.
Numina, quæ toties aspiravere canenti,
Sperant te precibus posse movere suis.
Præcipuè dulci te voce Thalia precatur,
Quæ colit argutos ingeniosa modos.
Ede immortali dignissima carmina cedro,
Quæ lucem aspicient edita, lecta dabunt:
Famaque cùm tulerit totum resonanda per orbem,
Divini ingenii sint monimenta tui.

***

Ad

Ad eumdem Excellentissimum Dominum, & disertissimum Poetam, cùm centum solùm Epigrammata in lucem edat.

EPIGRAMMA.

SUme lyram, celebra proavos, magnumque parentem,
Et longâ heroum laude poëma sonet.
Nam centena licèt scribas epigrammata, nobis
Fas est displiceas qua brevitate places.

Ad

Ad eumdem, cujus Excellentissimus parens, cùm sit eloquentissimus, & omnigena eruditione clarus, soluta semper oratione, nunquam verò ligata scribere solet.

EPIGRAMMA.

PAr es in eloquio, Joseph facunde, parenti;
Impar sed, quoties carmina docta facis.
Mirandæ Phœbus potuit tibi vertere laudi,
Cùm par sis patris, non patris esse parem.

Ad eumdem

ejusdem argumenti

EPIGRAMMA.

MUsarum cultor cur non pater inclytus extat,
Cùm soleat semper Pallade digna loqui?
In te nempe suam divinam transtulit artem,
Dulcior ut gemino numine musa foret.

JO-

JOSEPHO COMITI
DE VIMIOSO
Antonius dos Reys Congreg. Orat.

S.

Ac Zoilorum contemptum.

RUpis ad Aoniæ nuper cùm teſqua ſubirem ,
Caſtalio cupiens fonte levare ſitim ,
Ponè volans ſubiit Montem quoque Fama , Poetæ
Portatura choro nuncia læta novi ,
Et : Compoſta diu Vates Vimioſius, inquit,
Occultata tamen , carmina multa tenet :
Illa ego , dum ſolus reſeraret ſcrinia , vidi ,
Quin legiſſe foret , clave vetante , datum.
Nomen ad auditum tunc primùm in vertice Phœbus ,
Muſarumque cohors obſtupuere novem :
Undique conveniunt , Clario mandante , Poetæ,
Cunctaque ſub lauro turba virente ſedet :
Conſultatur , utrùm deceat tua carmina prælo
Divulganda , licèt te renuente , dare ?
Primus ait, toto cœtu auſcultante , Catullus ,
Quo nemo eſt nitidus , flexanimuſque magis :
Poſtquam de terris ſum latus ad alta , futurus
Vobiſcum Phœbo tempus in omne comes ,

Tantùm non parvi pendunt epigrammata Vates,
Quidquid & argutæ est non nisi mentis opus:
Horrida bella placent tantùm, lituique, tubæque,
Quæque cient tristes cornua rauca sonos;
Dulcia jam dudum siluerunt barbita, nulli
In pretio plectrum est, tibia blanda tacet:
Successere lyris, citharis, fidibusque canoris
Æs ferale gemens, pulsaque terga boum:
Displicuisse putant, ni sermo duret in annum,
Vitaque sufficiat si diuturna libro:
Sint mihi dictorum Permessia flumina testes,
Saxaque, quæ bifido sidera colle petunt:
Cernite quàm pauci vestigia nostra sequuntur,
Et sectatores quot Maro solus habet:
Vix fuit antiquos inter lepidissimus unus,
Cui placuere mei, me pereunte, sales:
Protulit hunc aures mulsurum Bilbilis, ipso
Sic nota, ut nota est Cæsare Roma suo.
Postea tentarunt epigrammata pangere plures,
Quo tamen eventu, publica fama docet:
Non tam torpescunt glaciali frigore rupes,
Quas Septem to.lit sidera ad alta trio,
Quàm frigent versus aliquorum, ut carmina Mevi,
Aut audire Bavi rursus in orbe putes.
Scitis eos inter me non comprendere Lusos,
Vel qui vitali luce fruuntur adhuc:
Edidit Emmanuel, Tellesæ gloria gentis,
Quem mox presserunt præla Batava, librum,
Quem quicumque legat: Remeavit musa Catulli,
Dicet: Bilbilicus denuò Marcus adest,

Edidit

Edidit æternùm victura epigrammata centum
Lima Theatinus, nomine digna ſuo,
Lima, Latinorum qui quondam maximus eſſet,
Illum ſi terris ſæcula prima darent.
Hos, ut Fama refert, ſequitur Comes inclytus, æquo
Namque ſolet paſſu grandia quæque ſequi.
Ergo, vel nolens epigrammata ſubdere prælo,
A' te cogatur, Phœbe diſerte, rogo,
Utque meis precibus. Vetuit ſed plura profari
Flaccus, Romanæ gloria prima lyræ,
Et: Maturet, ait, nonumque prematur in annum,
Frigeſcat mentis dum prior ille calor:
Carmina ſæpe placent ſubito deducta furore,
De quibus Authores pòſt rubuere ſui:
Antè celer denum bis Sol confecerat orbem,
Quàm daret Æneidos carmina culta Maro,
Et tamen hæredes quoties monuiſſe refertur,
Carmina ſuſciperent igne cremanda levi?
Naſo dolet, quamvis ſit nemo politior illo,
Quòd deſit ſcriptis ultima lima ſuis:
Ipſe ego de noſtris delerem plurima libris,
Conceſſa à ſuperis ſi mihi vita foret;
Nam licèt in Lyricis omnes excellere dicar,
Sunt quæ, ſerò tamen, compoſuiſſe pudet.
Ergo ſcripta premat juvenilia, limet, & œſtro
Haud velit imprudens præcipitante trahi.
Non tulit Euterpe ſuadentem talia Flaccum,
Atque illum contra ſic fuit orſa loqui:
Si quam præſcribis, ſervanda eſt regula, Flacce,
Culmina Parnaſſi quis ſuperare queat?

Semita robuftos juvenes fi tardat euntes,
Vixque valent firmi fcandere faxa pedes,
Quî vis ut fubeant prærupta cacumina Vates,
Nonnifi cùm vires curva fenecta premat?
Ingenio dandum eft aliquid; fecat ardea nubes,
Teftudo toto corpore verrit humum;
Tarda procellofos fulcat vectoria fluctus,
Ocyor it Boreâ per freta cæca paron:
Non eft, fed nec erit mentis vigor omnibus idem,
Unus fi fapiens eft, erit alter hebes.
Ingeniis ætas nulla eft: fi fæcla docerent,
Docta proculdubio faxa vel ipfa forent,
Doctaque cuncta forent filvarum robora, namque
Utraque tot numerant fæcla, quot orbis habet.
Si Comes ingenio reliquos fupereminet, æquo
Quarę cum reliquis debeat ire gradu?
Quod genus eft pœnæ vinclis retinere volentem
Ire, quòd alter iners tam celer ire nequit?
Haud nego limari debere poëmata, fòlùm
Deberi limæ tempora tanta nego:
Si poft fcripta novem gyros agat æthere Phœbus,
Aut nulla, aut faltem paucula fcripta leges:
Carmina, quæ fubito ducebat pectine Nafo,
Ad limam rurfus non revocanda dabat:
Ipfe fuam quoties damnatam Æneida flammis
Ut legeret, fcandit pulpita celfa Maro?
Vix bene condiderat nugax epigrammata Marcus,
Hæc dabat in cunctis pila legenda foris;
Tu quoque (nam memini) fimul ac duo verba ligabas,
Non erat abfque libris ulla taberna tuis;

Et

Et tamen hîc omnes , non nomina parva , ſedetis
Tu , Naſo , Marcus , Virgiliuſque ſimul :
Hæc exempla ſequi Vates Vimioſius optat,
Et , quâ vos olim , nunc avet ire viâ :
Non uni tantùm , patet omnibus ardua Phœbi
Regia : Parnaſſum cuique ſubire licet:
Datque , dabitque viris divina potentia numen ,
Haud , quæ viderunt ſæcla priora , minus ,
Delirat quiſquis non tot dare munera poſſe
Cœli rectorem , quot dedit ante , putat.
Ergo tibi æqualem ſinito ſua carmina Vatem ,
Ut tua culta olim , tam bene culta dare.
Finiit. Arcitenens , I, dixit , mænia Græci ,
O divûm interpres , præpes ad alta vola.
Qua Tagus immenſo miſcet ſua flumina ponto ,
Urbs ubi ſepteno colle locata patet ,
Ardua regifico ſurgunt palatia luxu ,
Quæ vaga ſublimi ſidera turre petunt ,
Huc appulſus , adi Comitem , nec adire timeto ,
Panduntur doctis nocte, dieque fores ;
Incubat ille libris , ſoliſque dat otia muſis ,
Pulſat & aſſidua plectra canora manu ;
Nec , niſi ſuccutias , te forſitan ille videbit ,
Sic veluti fixum charta tenere ſolet ;
Tum ſimul ac doctos ſomnos abruperis, illum,
Ut ſua det vulgo carmina compta , mone:
Sic placitum Phœbo , placitum ſic eſſe Camœnis ,
Ut citò Pierios augeat ille choros.
Quòd ſi , quâ pollet, præclara modeſtia tardet ,
Impediantve metus , ingenuuſve pudor ,

Fur-

Furtorum doctus pridem es, furumque magiſter,
Quidquid ibi abſcondunt ſcrinia clauſa, rape,
Raptaque terrarum fer carmina docta per orbem,
Nec mea tam longùm dona latere ſine:
Eſſe ſuum præter Vatem rudis audiat Andes,
Qui ſciat heroos ingeminare ſonos:
Audiat & gelidis Sulmo madefactus ab undis,
Vivere Naſoni carminis arte parem;
Corduba Lucanum, jactatque Venuſia Flaccum,
Celtiberi Marcum laude ſub aſtra ferunt.
Parva ſibi tenero placuit Verôna Catullo,
Vate ſibi placuit patria quæque ſuo.
Ergo ſuam jactet pariter Comes inclytus urbem,
Æternumque addant huic nova plectra decus.
Voſque, novena cohors, frondoſam intexite laurum,
Floreaque Authori ſerta parate novo.
Nec mora: Mercurius pedibus talaria nectit,
Virgineæque ligant laurea texta manus.
Quæ ſimul ac vidi, properans de Monte receſſi,
Ne tibi quis ferret nuncia læta prior.
Aude igitur, contemne metus, da carmina prælo,
Fac, volitet ſcriptis Fama gravata tuis;
Dum tumet Aonio facilis tibi vena liquore,
Dumque tibi fluitat Caſtalis unda libens,
Concine: da blandis juvenilia tempora Muſis,
Et ventura libris aſſere ſæcla tibi:
Vivimus æternùm, qui ſcribimus: æra vel ipſa
Perdit tempus edax, unica ſcripta manent:
Sunt experta gravem Memphitica ſaxa ruinam,
Verſus & in nihilum, vaſte Coloſſe, jaces.

Sæcula

Sæcula Niliaco frutici ſua debet Homerus,
Eripit à mortis charta furore viros.
Sed verboſa nimis jam ponit epiſtola finem,
Laſſaque tam longo carmine Muſa tacet.

IN

IN EXCELLENTISSIMI

COMITIS VIMIOSENSIS,

Christiani Martialis, memoriam sempiternam Encomiastes

PHILIPPUS MACIEL

hunc lapidem posuit.

NOn cessent de te
Homines dicere:
Incipiant lapides.
Parum erat statuis
NOMEN TUUM
Dura, & muta marmora
Æternitati commendare:
Voces emittunt tandem.
Jam cytharam jactare suam
Non audet Orpheus,
Quam indignatus suspendens
Tuæ spectator est;
Tantamque artem miratur;
Doletque,
Saxa illum traxisse,
Quæ tu non trahis, sed allicis;
Ut naturam ipsam,

Non

Non viciſſe,
Sed commoviſſe videaris.
Nunc qualis ſit beatæ pacis fructus,
Ex his Muſarum deliciis
Agnoſcimus.
Bellorum ſtrepitu placato,
Speciem mutavit Minerva,
Et, non jam Bellona,
Apud Luſitanos fixit imperium:
Teque
Igne, ac divino lacte nutritum,
Alatoque ſerpente ſuperpoſitum
Humanarum artium cultorem
Selegit.
Novus, non Cereris,
Sed Minervæ Triptolemus,
Novæ eloquentiæ inventor,
Non palatum, ſed ingenium
Recreas.
Nec ope tua
Dodonia quercus ariſtis ceſſit,
Sed Roma Luſitaniæ.
Quid vera intexere
Cogimur fabulis?
Alatum ſerpentem
Stemma tuum exprimit Regium;
Teque igne, ac divino lacte nutritum,
Si patris, avi, ac ſoceri
Eloquentiam contemplamur,
Fateri quoque neceſſe eſt
Ex hoc triplici fonte,

Ora-

Oratoriâ, Hiſtoriâ, & Poëſi,
Novum hoc ſcribendi genus condidiſti;
Ut te
Ad tantum opus perficiendum,
Non doctum, ſed factum,
Non inſtitutum, ſed imbutum
Cognoſcamus.
Bene precare tanto viro, viator,
Qui hominum mores
Ridet, nunquam ridendus:
Ludit; non illudit:
Laudat, non adulat:
Nec mirum,
Quòd ſcribendo neminem læſerit;
Cum virtutes,
Quas animo retinuit ſemper,
Ære incidit æterno.

D.

D. JOSEPHI MICHAELIS JOANNIS PORTUGALLENSIS COMITIS VIMIOSENSIS EPIGRAMMATA.

De Lucrecia.

EPIGRAMMA I.

ABstulit ut tibi Tarquinius,rapuitque pudorem,
Sanguine tinxisti candida membra tuo,
Ingeniosa nimis tua sit, Lucrecia , virtus ,
Tam bene quæ reparat damna pudicitiæ.
Si non illatum per vim tibi dedecus illud,
Fœmina casta fores, sed celebranda minus,

De Horatio occidente ſororem.

EPIGRAMMA II.

TErgemino cædis germanam victor ab hoſte,
Dum luget ſponſi triſtia fata ſui.
Talia conclamat miſeratus quiſque, triumphum
Cæſorum minuit fœmina cæſa virûm.

In

In morte præclarissimi viri D. Francisci de Sousa.

EPIGRAMMA III.

OCcidis, ætatis juvenis clarissime nostræ,
Lumen, honos patriæ, gloria, fama, decus;
Interit exemplum tecum candoris, & illa,
Quæ morum probitas irreprehensa fuit:
Sic tua mors nobis tantummodo tædia vitæ
Addere, virtutis non documenta potest.

Aliud.

EPIGRAMMA IV.

EMoreris, juvenis longum memorande per ævum,
    Lucidâ cùm tendis laudis in astra via.
Te proceres, populus, cognati, flemus amici ;
    Orbaque flet tali patria mœsta viro.
Sic dolor, & lacrymæ faciunt modo, vivus ut ipse,
    Et præsens nobis diligerere minus.

De

De Manlio Consule filium capite plecti jubente.

EPIGRAMMA V.

DAmnasti natum, Manli, quia victor ab hoste
Imperii oblitus cesserat ille tui.
O nimium ille reus felix, cui gloria crimen,
Summaque cui virtus unica culpa fuit!

In Marcum Antonium, qui Ciceronem interfecit.

EPIGRAMMA VI.

Cur per te lumen Romani Tullius oris
   Tollitur; illius muta nec ora times?
Hoc ſcelus, Antoni, præſens, hoc ſerior ætas
   Objicit; objicient ſæcula cuncta tibi.
Hæc modò te damnant plus voce ſilentia linguæ,
   Hæc facunda nocet vox tibi viva minus.

De natali optimi parentis ſui.

EPIGRAMMA VII.

HÆc, pater, alma dies, & lux mihi charior illa,
Qua tua progenies editus ipſe fui;
Sæpe, precor, veniat Pyliis numeroſior annis,
Ut roſeo vultu fulgeat orbe diu.
At populus tanta pro te prece numen adorat,
Pene tua ut faciat vota minora domus.

In morte præclariſſimi viri Marchionis das Minas.

EPIGRAMMA VIII.

NOn moreris, gentis decus indelebile noſtræ,
Gloria ſi maior poſt tua fata venit.
Eſt aſſueta tuis quondam victoria caſtris,
Cinxeruntque nitens laurea ſerta caput:
Mars quoque belligerans victus tibi cederet armis,
Numen & in terris perderet ille ſuum.
Nunc pedibus victor radiantia ſidera calcas;
Nec ſacra Titanum, ſed pia bella facis.

Ad doctissimum virum P. Antonium dos Reys Epigrammatum Centuriarum quinque libellum iterum edentem minori forma.

EPIGRAMMA IX.

PLurima dum gracili vulgas epigrammata libro,
    Lectori, credo, vis dare verba tuo:
Non igitur, licèt ipse velis modò, grande libello
    Ingenium poteris dissimulare brevi.

De Nerone ſibi mortem conſciſcente.

EPIGRAMMA X.

CUr, Nero, decernens lethum tibi ferre, ſalutem
Vis nece tot populis poſtmodo ferre tua?
In te crudelis, credo, nimis ipſe fuiſti,
Eſſe ut deſineres hac feritate ferus.

De

De Mucio Scævola.

EPIGRAMMA XI.

QUam ferus injecit ſacrato Mucius igni,
Hanc ardere manum Pórſena Rex vetuit.
Fecit uterque nimis ; multum fuit urere dextram,
Sed plus hoſtem hoſti dicere, liber abi.

Falx

Falx ex enſe.

EPIGRAMMA XII.

SUm modò ruricolæ inſtrumentum, militis olim ;
Cauſa necis fueram, cauſa ſalutis ero.

S. Lucia ſibi oculos eruit, quòd cuidam juveni placebant.

EPIGRAMMA XIII.

ERuis ipſa oculos virgo tibi ſancta decoros,
Quòd placeant juveni lumina caſta nimis.
Quàm juvenis demens, fortis tam Lucia virgo;
Perdidit hæc oculos; cæcus at ille fuit.

De Christi Domini latere per militem transfixo.

EPIGRAMMA XIV.

TEla cruenta odii ſcindunt tibi pectus, amoris
Aurea quòd ſcindit, Chriſte, ſagitta prius.

Ad Authoris parentem die natalis ſui.

EPIGRAMMA XV.

HAnc mihi quòd genitor vitam venerande dediſti,
Non tibi par doleo poſſe referre pari.
Sed me plus vivas cupio ; vixiſſe videbor,
Si, pater, emoriar, te ſuperante, diu.

De

De Fortuna.

EPIGRAMMA XVI.

OMnia, cæca licèt dea ſis, fortuna, gubernas;
Terrarumque orbem ſubjicis orbe rotæ.

Julius Cæsar, visa Alexandri statua, plorat.

EPIGRAMMA XVII.

MOllitiem cordis lacrymæ testentur ut omnes,
Virtutem fletus Cæsaris iste probat.

Ad doctissimum virum P. Petrum de Almeida è Societate Jesu quòd sex Epigrammata ad se miserat.

EPIGRAMMA XVIII.

OPtime misisti quòd sex epigrammata vates,
  Ut tua carminibus sint quoque juncta meis,
Inclyta perpetuæ surgit mihi gloria laudis,
  Ingenioque meo fama perennis adest:
Nam quoties toto mecum simul orbe legeris,
  Inferior toties te nimis esse ferar.

In laudem doctissimi viri P. Ludovici Caietani de Lima Clerici Regularis centum Epigrammata Regi nostro scribentis.

EPIGRAMMA XIX.

MAxime perpetuo victura volumina vates
 Qui facis, & Latiæ carmina digna togæ,
Jure cothurnatæ felicia sacra Thaliæ
 Detineant oculos Principis ista cupis.
Terrarum Domino, populos qui munerat auro,
 Munera festina plus pretiosa dare.

Aliud.

EPIGRAMMA XX.

QUot ſupplex noſtro ſacras epigrammata Regi,
Inclyta tot nobis Principis acta refers.
Quanta tibi doctæ fama eſt, & gloria muſæ!
Sit Rex vel cultu dignior, illa facit.

De Nerone Senecam interfici jubente.

EPIGRAMMA XXI.

DAs, mihi crede, nova letho feritate magiſtrum,
Lambat & indomitus cùm leo ſæpe ſuum.
Fas odiſſe tuos mores genus omne ferarum,
Quas pudet ingenium durius eſſe viro.
Hac tua ſævities animâ ſatiata videtur;
Ampliùs illa ſatis te vetat eſſe ferum.

In laudem præclarissimi viri Comitis da Ericeira carmen ex tempore componentis, librique Authorem celebrantis.

EPIGRAMMA XXII.

Optima quòd facias subitò, nil carmina miror;
Quòd celebres nostrum carmine miror opus:
Officit ingenio semper tenuissima magno
Materies; gracilis proficit ipsa tuo.

De

De Porcia.

EPIGRAMMA XXIII.

Acciperes Bruti cùm, Porcia, ſata mariti,
Et quæſita forent tela negata tibi;
Auſa es cum lacrymis calidas haurire ſavillas,
Juncta tuo poſſes ſemper ut eſſe viro.
Extitit ut mortis dolor hic tibi cauſa, doloris
Sic tibi crudelis mors medicina fuit.

De Phaetonte.

EPIGRAMMA XXIV.

CRedatur Solis Phaëton quò vera propago,
 Ex ipſo quærit pignora certa patre:
Altos ille rogat Vulcania munera currus,
 Incenſuſque regens lora paterna cadit.
Æquoreis tumulatur aquis; miſeranda ſepulchri
 Progeniem Phœbi ſors Phaëtonta probat.

De Templo Maſſrenſi.

EPIGRAMMA XXV.

SEptem orbis ſileat ſua jam miracula terræ,
  Dum tua, Joannes, munera fama canit.
Machina ſacra domus par eſt, Rex inclyte, Cœlo;
  Ipſeque cum templo tendis in aſtra ſimul.
Nil mirum eſt, moles quòd vertice ſidera pulſet;
  Si non eſt artis, ſed pietatis opus.

Aliud.

EPIGRAMMA XXVI.

ERigitur moles ſacri quæ maxima templi,
Grande tuæ pignus, Rex, pietatis adeſt.
Sic Auguſte facis Princeps, ut nominis alta
Sint monumenta tui limina ſancta Dei.

Ad præclarissimum virum Comitem da Ericeira, qui noctu sine lucerna in bibliotheca sua librum invenit. Epigramma extemporale.

EPIGRAMMA XXVII.

QUem librum reperis, non hunc sine lumine quæris;
Mens tua plus flammæ lumine lucis habet.

In

In laudem Ducis Cadavalensis vitam parentis sui conscribentis.

EPIGRAMMA XXVIII.

PAr erat, ut vitam ſolus patris ipſe referres,
Qui ſolus poteras tam pia facta ſequi:
Sic imitanda tibi narras dum geſta parentis,
Tu rerum ſcriptor, tu ſimul author eris.

Aliud.

EPIGRAMMA XXIX.

OPtima perſcribis dum ſic pius acta parentis,
Jam tenet æterni nominis ille decus:
Gloria ſed maior patris eſt, quòd filius ipſe,
Quam quòd ſis hujus conditor hiſtoriæ.

Aliud.

Aliud.

EPIGRAMMA XXX.

VIs pietate alios natos ſuperare, parentis
Ultima dum nobis, miraque facta refers:
Ingens illa patri, ſunt quòd bene geſta, dedere
Nomen; at æternum, quòd tibi ſcripta, dabunt.

Aliud.

Aliud.

EPIGRAMMA XXXI.

ULtima dum narras clari benefacta parentis,
Ille sit in toto notus ut orbe, facis:
Sic pater egregius, fortis, pius, inclytus heros,
Maior & historia est, sed minor historico.

De

De Aulo, qui ditissimus erat, cùm esset malus Medicus.

EPIGRAMMA XXXII.

AUlus erat Medicus vix tinctus Apollinis arte,
Estque brevi factus tempore dives opum:
Dives, & indoctus quare? Fuit impius hæres
Forsitan illorum, quos dedit ipse neci.

De cæco, qui anum ducebat uxorem.

EPIGRAMMA XXXIII.

UXorem, cæcus cùm ſis modò, ducis anilem;
 Connubium veſtrum par & utrique puto:
Nam neque duxiſſes vetulam, ni luminis orbus;
 Nec tibi nupſiſſet, ni foret hæc vetula.

De effigie chariſſimi parentis ſui, quæ in libro ab illo conſcripto ponenda erat.

EPIGRAMMA XXXIV.

EFfigiem, mihi crede, tuam, pater optime, veram
Reddere picta nequit, ſcripta tabella poteſt.

De

De repentinâ morte.

EPIGRAMMA XXXV.

DE brevitate queri vitæ nos ſæpe ſolemus ;
Cùm mage ſit nobis mors metuenda brevis.

De Icaro.

EPIGRAMMA XXXVI.

AEra per vacuum fictis fugit Icarus alis,
    Ingeniosa manus quas parat ipsa patris.
Sed quia consiliis non utitur ille paternis,
    Mergitur æquoreis præcipitatus aquis.
Sors fuit Icaria melior Phaëtontis & ipsa;
    Magnis hic ausis excidit, ille fugâ.

De

De ſtatua Veneris, quæ incendio perierat.

EPIGRAMMA XXXVII.

DIc mihi, non poteras tantùm, Cytherea, perire
Igne illo, cuncti quo periere, tuo?

De

De avaro, qui neminem decipiebat.

EPIGRAMMA XXXVIII.

CUncta negas cunctis, nullos sed decipis unquam;
Quò dare nil possis, verba nec ipsa dabis.

In

In laudem Medici librum Medicinæ conſcribentis.

EPIGRAMMA XXXIX.

DOctus Apollineæ fueras qui conditor artis,
Rumpe moras, cunctis utile profer opus;
Ut ſi longam aliis valeat promittere vitam
Ars tua, perpetuam det tamen illa tibi.

In laudem parentis ſui panegyricum C. Plinii ſecundi in pàtrium ſermonem convertentis.

EPIGRAMMA XL.

QUi ſenſus promis modò Veronenſis acutos,
Efficis, ingenio cedat ut ille tibi:
Plinius ut noſtri ſemper celebraberis ævi;
Semper & hoc unum fama loquetur opus:
Illi quam toto laudem dedit orbe vetuſtas,
Hanc tibi ſera dabit poſtmodo poſteritas.

Aliud.

Aliud.

EPIGRAMMA XLI.

SPlendida dum vertis præclari verba Secundi,
Suſpicit authoris nobile lector opus:
Gloria nulla tibi, continget tota Secundo;
Nam qui maior eras, te ſinis eſſe parem.

Aliud.

Aliud.

EPIGRAMMA XLII.

QUòd bene de Latio reddis ſermone Secundum
　In noſtrum, magnum ſurgit utrique decus:
Plinius eſt equidem ipſo te felicior; illi
　Nam tua vox nomen, laus tibi noſtra parit.

Aliud.

Aliud.

EPIGRAMMA XLIII.

QUòd tibi Cæcilii libuit modò vertere voces,
Scis quantum ingenio debeat ille tuo ?
Nam dum ſcripta facis celebris meliora Secundi,
Clarius exiſtit, ſi minus author, opus.

De

De effigie Augusti Principis Brasiliæ, quæ libro incisa erit.

EPIGRAMMA XLIV.

Quem beat effigies, Princeps Auguste, libellum
Hæc tua, jucunda non sine fronte beat.
Maxima cùm semper tua sit clementia, vultûs.
Non minor in sacra cernitur effigie.
Quis non artificis divinam suspicit artem?
Crede mihi, mores fingit & illa tuos.

Audaces fortuna juvat.

EPIGRAMMA XLV.

CUr juvat audaces ſemper fortuna, requiris?
Cæca quòd omnino nulla pericla videt,

Ad

Ad doctissimum virum Antonium Rodericium Costium ostendentem justa Lusitanorum arma pro vindicanda Hispanorum libertate Gallico dominatu oppressa.

EPIGRAMMA XLVI.

JUsta probas cunctis nostri qui Principis arma,
Diceris eloquio vel Cicerone prior:
Fœdera Regnorum, leges, & jura tueris;
Magnaque fit maior causa patrocinio.

De

De vera effigie Divi Antonii.

EPIGRAMMA XLVII.

QUæ manet effigies ſacri pulcherrima vultûs,
Pulchrior, Antoni, eſt mentis imago tuæ:
Cur ſervare, virum referens pictura beatum,
Verba diſerta nequis, ſi pia facta vales?

Dido

Dido alloquitur fugientem Ænean.

EPIGRAMMA XLVIII.

SI pius Æneas patriæ pater ipſe vocaris,
    Sique tui genitor diceris eſſe patris;
Cur fugis uxorem, miſeramque relinquis amantem,
    Deſeris & partes tempus in omne viri?
Deſere ſecurus: Dido eſt, ſi fœmina, conjux:
    Juſtus erit juſto victus amore furor.

In

In laudem ingeniosissimi juvenis P. Constantini de Barros Societatis Jesu orationem de Sapientia recitantis.

EPIGRAMMA XLIX.

QUi modò verba facis facundo præditus ore,
Incipis ætatis Tullius esse tuæ:
Sed tibi sit quamvis imitando gloria talem
Magna virum, maior laus Ciceronis adest.

Ad quemdam ingeniosissimum Poetam, cujus in carmine, quod ex tempore recitarat, error levissimus inveniebatur.

EPIGRAMMA L.

Quos subitò Vates recitasti maxime Regi,
    Parvus in extremis versibus error adest.
Vis errare quidem, sic docta ut carmina nobis
    Errando meliùs facta repentè probes.

Venus

Venus marmorea.

EPIGRAMMA LI.

CUr ſtas, diva Venus, Phrygio de marmore facta?
Nempe ut marmoreum te quoque pectus amet.

In morte religiosissimi viri P. Emmanuelis à Deo sacri, & clarissimi Oratoris.

EPIGRAMMA LII.

Qui tua fata videt, meritò sua pectora plangit
Flebilis, & lacrymas sine carere vetat:
Insignem pietate virum nam luget ademptum;
Nec jam posse sacro condolet ore frui.
Quàm tua vita Deo placuit sanctissima, nostræ
Si lacrymæ Cœlo, si placet ipse dolor!

Ad

Ad præclariſſimum virum Marchionem Alegretenſem ſocerum ſuum ſecundam Epigrammatum Centuriam edere curantem.

EPIGRAMMA LIII.

JAm numerare licet biſcentum epigrammata nobis,
Si tua jungamus carmina priſca novis.
Sic celebrare operum linguis vaga fama tuorum
Dimidiumque nequit, dimidiumque poteſt.

De natali optimi parentis sui.

EPIGRAMMA LIV.

UT precor, imple annos, pater optime; nominis ævum
Sic mensura tui temporis hujus erit.

Ad

Ad præclariſſimum virum D. Franciſcum de Almeida Judæorum ſcelera publice punientem.

EPIGRAMMA LV.

IN Cœlum audaces plectis ſatis ipſe, piuſque
Plectendo creſcis tot pietate reos.

Hercules fictilis.

EPIGRAMMA LVI.

ME timeas, moneo, quamvis ſim fictile ſignum:
Scilicet Alcidæ nunc mage ſum ſimile.

In

In laudem præclariſſimi viri D. Ferdinandi de Menezes Comitis da Ericeira Hiſtoriam Tingitanam ſcribentis.

EPIGRAMMA LVII.

AFrica jam felix, ſcriptor clariſſime, ſolvit,
Quæ tibi cumque ſua debet in hiſtoria.
Nomen ubique tuum notum facit Africa; mundi
Et celebrem in totis te facit una plagis.

Ad eruditissimum virum P. Antonium dos Reys Congregationis Oratorii, cujus carmina laudat.

EPIGRAMMA LVIII.

Optima, quæ legimus, jam carmina, culte Poëta,
Reddiderant clarum nomen ubique tuum.
At nunc Parnassi sacras sic tendis in arces,
Altus & in medio sic Helicone sedes;
Æmulus ut pariter, pariter deus æquus Apollo
Invideat plectro, plaudat & ipse tuo.

In

In Lentinum tingentem capillos.

EPIGRAMMA LIX.

CUr, Lentine ſenex, tinctis vis fingere canis
Te juvenem? Poſthac incipis eſſe puer.

Ad

Ad præclarissimum virum D. Ludovicum de Menezes Comitem da Ericeira Gallice optime scribentem.

EPIGRAMMA LX.

DEspiciat Romam nil Gallia docta; superbos
Nil faciat Gallos lingua diserta sua.
Gallica non Latiam vincit facundia, cedunt,
Sint facunda licèt, verba Latina tuis.

De

De Caſſelio tarde ingenioſo.

EPIGRAMMA LXI.

INgenioſus homo es jam ſexageſimus: ante
Vix tibi, quam moreris, naſcitur ingenium.

Ad

Ad præclariſſimum juvenem P. Didacum da Camara Societatis Jeſu, cui libellum mittit.

EPIGRAMMA LXII.

HUnc, vir docte, mihi mittenti ignoſce libellum,
Illius quando pars mea nulla fere eſt.
Sed cum juſtitia præſta tamen ipſe favorem;
Ut mala ſcripta legas, & bona ſcripta probes.

Ad

Ad doctissimum virum P. Paulum Maurum Societatis Jesu ad quem eumdem libellum mittit.

EPIGRAMMA LXIII.

CUm manibus ſumptus fuerit novus iſte libellus,
Corrige, vel dele noſtra, aliena lege.
Nam lima ut ſcriptis non ultima defuit illis,
Spongia ſic nugis convenit una meis.

De

De ſanctiſſima Paſſione Domini.

EPIGRAMMA LXIV.

VIvere qui ſolus vitam dedit omnibus, ille
Affixus moritur, quam tulit antè, cruci.
Carnifices lacerant ſacroſancti corporis artus;
Attamen eſt odio plus violentus amor:
Efflat pro cunctis animam mortalibus; illum
Gens inimica necat, gens & amica ſimul.

De

De Faunio hoſtem fugiente.

EPIGRAMMA LXV.

Dum fugit, ipſe neci vult ſe dare Faunius; hoſtem
Num citius, timor eſt, quàm moriare, mori?

De Diaulo Medico.

EPIGRAMMA LXVI.

NUper erat Medicus, nunc eſt veſpillo Diaulus
Tot ſepelire nequit, quot ſepelire facit.

Aliud.

Aliud.

EPIGRAMMA LXVII.

NUper erat Medicus, nunc eſt veſpillo Diaulus:
Dum veſpillo fit, fit magis & Medicus.

De Aspro cæco, & amatore cujusdam puellæ.

EPIGRAMMA LXVIII.

DIligis orbatus formosam luce puellam:
Optat amor cæcus, sis quoque cæcus amans.

In

In Zoilum.

EPIGRAMMA LXIX.

QUi vel nulla facis, carpis mea carmina; jam te,
Quòd tua non possum carpere, carpo magis.

Minervâ argentea.

EPIGRAMMA LXX.

AUrea seu fieri, quæ sis argentea, debes,
Ænea seu; virgo docta, feroxque simul.

Virgilii

Virgilii culex.

EPIGRAMMA LXXI.

VIrgilii culicem, nec tantum Æneida, diſce:
Res facit hunc magnum magna, minorque virum.

Divæ Mariæ Magdalenæ fletus.

EPIGRAMMA LXXII.

DAs lacrymas, multum quia diligis: obruta lympha
Non cordis flamma eſt; cauſa ſed ignis aquæ.

Ad præclarissimum virum Marchionem Alegretensem socerum suum.

EPIGRAMMA LXXIII.

ME misisse tibi dixisti præmia musæ,
 Par pretium ipsius quæ solet esse sui;
O utinam hoc valeat de te bene nostra merendo
 Dicere carminibus grata Thalia tuis.
Me miserum! Pietas poterit tua maxima sæpe
 Mittere dona mihi; præmia non poterit.

Sapientissimus vir P. Petrus de Almeida gratulatur Authori, quod sit in Academicorum Collegium cooptatus.

Plaude novo, felix Academia, plaude sodali:
Est tiro, ast etiam Tullius ille simul.

Respondet.

EPIGRAMMA LXXIV.

SUm tiro, at socius tibi, vir doctissime; fiam
Sorte sodalitii Tullius ipse tui.

Aliter.

Aliter.

EPIGRAMMA LXXV.

Plaude tuo, felix Academia, plaude magiſtro:
Tullius hoc fuerit quiſque magiſterio.

Iterum ille ad Authorem.

Tam mihi reſcribis bene culta, Academice, quondam
Tironi Cicero quàm bene culta ſuo.
Tiro ego, tu Cicero. Quis enim neget eſſe patronum
Te mihi? Libertum me tibi quis dubitet?

Iterum

Iterum respondet.

EPIGRAMMA LXXVI.

ES mihi Virgilius, fuerim tibi Gallus & ipse,
Carmina non certant, certat amicitia:
Non tibi rescribit calamus, respondet amori
Ast amor, interpres cor mihi solus adest.

Ad eloquentissimum virum P. F.Caietanum à D. Josepho Ordinis Carmelitani, cui oratiunculam à se habitam in Academia regia mittens, alicujus se tarditatis excusat.

EPIGRAMMA LXXVII.

ILla ego, quæ docti cœtûs pars ultima feci
    Verba, precor, fuerint qualiacumque, legas.
Parva moræ culpa est; veniam meruisse videtur,
    Qui non festinat displicuisse tibi.

Responsio eloquentissimi viri P. F.Caietani à Divo Josepho Ordinis Carmelitani.

Qua sine vix gremium esset ab omni parte beatum
    Ultima pars, gremio jam Vimiosus adest.
Illum jam socii gaudent audire loquentem,
    Verbaque quot loquitur, tot jacit ore rosas.

Respondet

Reſpondet Author.

EPIGRAMMA LXXVIII.

QUàm foret hic felix cœtus felicior, ipſe
    Si modò te ſocium poſſet habere ſuum!
Me tua gaudebunt recitantem audire ſodales;
    Totque legent fructus, quot tua dicta legent.

Ad

Ad doctissimum virum P. Didacum Barbosa Magistrum suum, quod procul abesset.

EPIGRAMMA LXXIX.

SI desiderium, doctor, patrique meumque
    Respicis, & nostra gaudia vera domus;
Te citò redde tuis poscentibus; invidet agris,
    Invidet incultis urbs nimis ampla locis:
Gaudent illa viro sapienti rura, tuoque
    Horridus ingenio rusticus excolitur.

Ad

Ad eloquentiſſimum virum P. F. Caietanum à Divo Joſepho Ordinis Carmelitani opus quoddam amici ſui collaudantem.

EPIGRAMMA LXXX.

QUi peragis laudum præconia doctus amici,
Cæcilii magni dum bene vertit opus ;
Præmia das ſtudiis felicibus æqua laboris,
Quæ tantum ſitiens nominis author avet.
Ille ſed æternæ pretioſo munere famæ
Pluris amicitiæ pignora chara facit.

Ad

Ad eruditissimum virum Franciscum de Pinna e Mello Authoris Epithalamium egregiè componentem.

EPIGRAMMA LXXXI.

INgenio cunctos & vincis & arte, jugales
  Qui thalamos cantas, summe Poeta, meos:
Posteritas tantum munus, quod grande dedisti,
  Acceptum poterit grata referre tibi:
Ipse tui pretium laudes contemne virorum,
  Consona dum tractas pollice fila lyræ.
Nam me cùm celebras, cunctis celebreris ut ipse,
  Est melior multò sors mea sorte tua.

Ad præclarissimum virum Marchionem Alegretensem socerum suum, ut Epigrammatum suorum Centuriam edere statim velit.

EPIGRAMMA LXXXII.

QUi bene finisti jucunda epigrammata centum,
Ede opus, ut prosis omnibus, ede tuis.
Per te vulgetur doctus quicumque libellus;
Non tibi, sed nobis jam nova fama venit.
Tu potes ingenii summi dare pignora forsan
Plura tui, certè non meliora potes.

In

In Quinctum, qui Thaida luscam amaverat.

EPIGRAMMA LXXXIII.

DEformem vultu cur Thaida Quinctus amavit?
Nescivit cæcus, lusca quòd esset, amor.

Ad præclarissimum virum Marchionem Alegretensem socerum suum, cui epistolam quamdam mittit, quam ille edere cupiebat.

EPIGRAMMA LXXXIV.

HÆc tibi, quam rogitas, mittatur epiſtola; ſitque
Digna edi, fuerat nam tibi digna legi.

Ad præclarissimum virum D. Franciscum Xavier de Menezes Comitem da Ericeira, ut sua ipse carmina edenda curet.

EPIGRAMMA LXXXV.

HÆc cito pervulga Vatum tua carmina Princeps,
Gratum opus, exuperans Pindaricosque modos.
Sic poterunt veteris fieri præconia famæ
Non maiora tuæ, sed diuturna magis.

Ad eloquentissimum virum P. F. Caietanum à Divo Joseph Ordinis Carmelitani Authoris carmina corrigentem; & nova quædam componentem.

EPIGRAMMA LXXXVI.

ET nostra emendas, simul & nova carmina condis:
Me tua delectant scripta, litura docet.

Ad

Ad præclarissimum virum Ludovicum Cæsarem de Menezes, cui oratiunculam à se compositam mittit.

EPIGRAMMA LXXXVII.

Istud amicitiæ parvum, vir maxime, munus
Est misisse meum, non renuisse tuum.

Sapientiſſimi viri P. Petri de Almeida Societatis Jeſu Authori centum Epigrammata typis dare ſuadentis nova palinodia.

Docte Comes, centum ne mitte epigrammata tantùm
In lucem ; ſtellis ſint paria & numero.

Authoris reſponſio.

EPIGRAMMA LXXXVIII.

JAm miſſa in lucem mea ſunt epigrammata centum;
Subdita judicio namque fuere tuo.

Ad

Ad præclariſſimum virum Marchionem Alegretenſem ſocerum ſuum, cui gratias agit, quòd in Academicorum numerum adſcriptus ſit.

EPIGRAMMA LXXXIX.

PEr te unum ſapiens ſociorum turba tuorum
Divino adſcriptum me tulit eſſe choro:
Dumque mihi decus, officium tibi præſtitit; illi
Multa mea cauſa debeo, plura tua.

Ad

Ad quemdam Poetam librum mittit, quem ille per carmina petierat.

EPIGRAMMA XC.

Accipe, das nobis quando tua carmina, librum;
Hic tibi me multò gratior esse potest.
Sunt ea, quæ fuerant studiis calcaria nostris,
Non indigna tuis præmia carminibus.

Præclarissimus vir P. D. Emmanuel Caietanus de Sousa, Clericus Regularis, scribit tacito nomine Epigramma ad fratrem Authoris.

Illustrissimo puero D. Francisco de Portugal, filio Excellentissimi Domini Marchionis Valentiæ, nomen danti Ordini Clericorum Regularium, cujus stemma est Crux, die 3. Maii Inventioni Crucis sacra anno MDCCXXXI. quo in eamdem diem incidit festum Ascensionis Christi Domini.
Vaticinium.

Fortunate puer, Caietani assecla Patris:
Signa Crucis sequeris, stemmata clara fugis.
Crux inventa tibi, Domini Crux quando reperta;
Cum scandente Deo, scandis & ipse Polum.
Nam Polus est Domini domus; hac eris ipse beatus;
Hac eris & maior, si minor esse velis.

Hæc cecinit vates nullo modulamine notus;
Quem bis tardat hyems ter duodena, senex.

Authoris responsio.

EPIGRAMMA XCI.

FOrtunate senex! Tua quem sapientia monstrat
Longævum; juvenem quem probat ingenium.

Ad

Ad doctissimum virum P. Antonium dos Reys Congregationis Oratorii, qui ad se Epigramma occultato nomine miserat.

EPIGRAMMA XCII.

SUmme tuæ vates doctæ gratare Thaliæ:
  Auratam quoties percutis ipse lyram.
Dissimulare cupit præclara modestia nomen:
  Ast insigne mihi musa retexit opus.
Carmen, amice, tuum cuncti celebramus: & unus
  Magnum, cùm careas nomine, nomen habes.

Ad præclariſſimum virum Marchionem Alegretenſem ſocerum ſuum, quòd duodecim Epigrammata unius tantum diſtichi compoſuiſſet.

EPIGRAMMA XCIII.

QUæ duodena facis, miramur diſticha; mirum
Sed magis eſt nobis, quòd brevitate places.

Ad

Ad ſapientiſſimum virum P. Petrum de Almeida Societatis Jeſu, quòd ab eo carmina ſua corrigerentur.

EPIGRAMMA XCIV.

ERroris veniam nunc te mea muſa precatur,
Quam ſolitus domino tu dare ſæpe ſuo:
Quamquam erraſſe viro ſit res turpiſſima cuivis,
Maxime me vates error & ipſe juvat.
Nam quoties pecco, quòd non mea carmina limes;
Me probo doctrina ſemper egere tua.

Ad doctiſſimum virum P. Paulum Maurum Societatis Jeſu, qui ad librum ab Authoris parente conſcriptum carmen compoſuerat.

EPIGRAMMA XCV.

QUa celebras patrem cantus dulcedine noſtrum;
Jam quia perfectum nobile vulgat opus!
Vel tibi concedat numeroſus Horatius ille
Auſoniæ fidicen, Pindaricæque lyræ.
Poſteritas tollet genitorem ad ſidera; laude
Sed tua plus pretii poſteritatis habet.

Ad præclariſſimum virum Marchionem Alegretenſem ſocerum ſuum, quòd ſibi juſſerit, ut de ipſius carminibus eligeret meliora.

EPIGRAMMA XCVI.

QUæ tua ſecerni juſſiſti epigrammata, noſtrum
Non ea judicium rejicienda docet:
Sed, plures quoniam vulgabit muſa libellos,
Quæ modò ſejungo carmina, junget opus.
Nec me conſolor, tua quòd tibi ſæpe coactus
Optima pauca adimens, optima multa legam.

Ad præclarissimum virum Marchionem Alegretensem socerum suum, qui Apparatum poeticum ad se miserat.

EPIGRAMMA XCVII.

DOcta mihi doctus, Phæbeaque munera mittis,
 Ut tenerum discam ducere carmen ego.
Non tamen hæc liceat tua jussa capessere, menti
 Ut liber insideat Delphicus iste meæ:
Nullis nam mihi fas est indulgere libellis,
 Dum tua, quæ miror, carmina culta lego.

Ad præclarissimum virum Marchionem Alegretensem socerum suum, cui suam effigiem mittit.

EPIGRAMMA XCVIII.

HÆc est absimilis nostri satis oris imago;
Sed tibi si placeat, non erit absimilis.

In

In adulatorem.

EPIGRAMMA XCIX.

CUr toties Regi nitida blanditus in aula
    Numen es illius ſic coluiſſe ratus ?
Forſitan at leges parvi temerarius, audax
    Principis auguſtas, juraque ſacra facis.
Qui pia ſubmiſſus tantum ſimulacra ſalutat ,
    Non colit ille Deum ; qui timet , ille colit.

De

De Manlio Consule.

EPIGRAMMA C.

NOn dubitas, Manli, victorem occidere natum,
Ne sit militiæ lex labefacta semel.
Cum prole extincta nequeas pater ipse vocari,
Vel patriæ verus diceris esse pater.

FINIS.

Quidquid hoc libello continetur, id omne incorrupto sanctæ Matris Ecclesiæ judicio subjectum volo.





